

*usque ad pœnam infernalem.* Quod autem ad desperationem Christo attributam attinet, infra §. XXVI. quædam monebimus.

§. VI. Ceterum in pleniorẽ Prægustus hujus cognitionem facillime opinor descendemus, si oppositum vitæ æternæ prægustum animo repetamus, ut, quemadmodum alias Status corruptionis post lapsum, facta collatione cum statu primævo seu integritatis, & status ipse damnationis cum statu beatitudinis rectissime intelligitur; sic prægustus damnationis ex collatione cum prægustu beatitudinis rectius intelligatur. Consistit ergo prægustus damnationis in duabus præcipue partibus, juxta duas pœnarum infernalium classes, privativam scilicet & positivam. Ad illam pertinet, quod, sicut *prægustus vitæ æternæ ex parte Intellectus importat cognitionem supernaturalem, quam mens humana non solum de sua cum Deo per Christum reconciliatione & acceptatione: verum etiam de ipsa in Deo per Christum consequenda beatitudine, vi promissionis divinæ, in scripturis revelata & per gratiosam Spiritus S. operationem obsignata, certior redditur & ad assensum non qualemcunque, sed fortiorem & pleniorẽ perducitur; bonum tam insigne ac singulare, absens quidem & ex se arduum, tamen ut impetrabile atque impetrandum cognoscit: (juxta ea, quæ in Disp. de Prægustu V. Æ. dicta sunt §. L.)* sic prægustus damnationis importat ex parte *intellectus* negationem aut carentiam talis cognitionis, seu quod homo, etsi indigentiam gratiæ Dei, & gratiam aliquibus collatam aut conferendam agnoscat; tamen in se descendens, se cum Deo per Christum reconciliatum esse, se consecuturum beatitudinem, non agnoscit: & quamvis explorans, utrum gratiosa Dei in ipso operatio appareat? non tamen aliquid ejus invenit, adeoque gratiam & beatitudinem, ut bonum ingens quidem, non aut impetrabile, aut impetrandum, cognoscit. Deinde quemadmodum prægustus V. Æ. ex parte *voluntatis* importat *boni istius, quod diximus, cogniti velut amplexum quendam, seu amorem, ac spem non dubiam beatitudinis, sed roboratam, una cum voluptate sive gaudio prædulci, inusitato & inenarrabili &c.* juxta verba Disp. cit. d. l. ita Damnationis prægustus importat absentiam horum

rum